

## EMBLEMA LIX.

## NOLITE CONFIDERE IN PRINCIPIBUS.



*Arboris ad truncos Elephantis carnea moles  
Applicat, ut relevet nocturno membra sopore.  
Prob miserum; quippè arbor eret præcisa latanter  
Arte Venatoris; fulcro ceciditque cadente:  
Sic capitur, dum stare nequit, mansuescere discens.  
Discite Mortales nullis hærere Potentum  
Truncis; defficient, caditisque cadentibus ipsis;  
Imminet heu casus; spes omnis in arbore fallax.*

## COMMENTARIUS.

**I**Uam lubricum, quantisque casibus obnoxium sit cum Magnis, & in magnis versari, sumnumque in Aulis Regiis fastigium obtinere, satis in superioribus demonstravimus, hoc autem Emblemate adumbrare conamur, vel alii periculis deficientibus, parum his Principe, aliorumque potentiorum fulcris, adhæsionibus, & favoribus esse fidendum, cum ubi illi ceciderint, & qui ipsis heserint, prolabantur, & à mortalibus, & suaptè natura caducis, nihil non mortale, fluxum, & caducum sperare fas sit.

**2** Quod satis dilucide Regius (a) Psalmes admonet dicens, *Nolite confidere in principibus; in filiis hominum, in quibus non est salus.* Quod & in aliis locis saepe repetit; & Jeremias (b) ita constanter, ut *Maledictum cum esse hominem dicat, qui confidit in homine, & à Domino recedit cor eius;* & pluribus ornant Sancti Patres (c) ibidem à Horino, & Cornelio à Lapide aducti, Inter quos Apollodorus Græcæ, sed in hunc sensum, sic eandem sententiam expressit;

*Nunquam Principibus cum animis confidens fueris  
Neque mortalium filiis, unde lumen nunquam est.*

**3** Indeque in Deo solo fiduciam totam nostram collocari deberi, pluribus ostendit D. Cyprianus, cuius, & aliorum verba alio in loco (e) retulimus. Hujusque vanæ, & caduce de Principibus confidentia aptissimum symbolum Jeremias (f) in myricibus ponit, arbusculis nimis parvis & infructiferis, simul etiam & aridis, quia nihil de cœlesti pluvia participant,

(a) David. Psalm. 145. 34.  
(b) Jerem. 17. 5.  
(c) Psalm. 59. 13. 107. 13. 127. 8. 9. 70. 1.

(d) D. Cypri. pag. mibi 377.  
(e) Sup. Emb. 7. Firmis hærendum.  
(f) Jerem. d. cap. 17. 6.

## Nolite confidere in Principibus.

in qua sperare debuerant. Unde & illud Ovidii (g),

*Si quis idem speret latus poma myricas,*

*Speret, & è medio flumine mella petat.*

**4** Daniel (b) autem, Principes, & sub eorum umbra degentes Aulicos, proceræ ac frondosæ arbori comparat, qua simul atque à domino succidi jubetur, omnes pariter sub ea deliquescentes, illius commodis viduanur. Sic etenim inquit: *Vigil & Sanctus de celo descendit: & fortiter clamat. Succidite arborē, & præcedite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergit fructus ejus, fugient bestie, quæ subter eam sunt, & volvuntur de ramis illius.*

**5** Jacobus (i) autem Billius eos, qui humanis rebus fidunt, naufraganti similes facit, qui maris algas manibus prentit, cum solidis niti deberet, sic inquiens:

*Ab sapit is, pressus qui fluctibus arripit algam,*

*Nec solidis nixus litora tutæ petit?*

*Hanc magis ille sapit, qui vita in fluctibus hujus*

*Præponit solidis fluxa, miserque perit,*

*Ut fugias igitur tanta discrimina ponti,*

*Nec caput ista minax obruat unda tuum,*

*Spemque, fidemque agapemque tene, fluxa omnia liquens;*

*Has nibil tabulas illa procella potest.*

Et D. Gregorius Nazianzenus (k), illis, qui labentibus fluminum undis confidunt, hoc carmine,

*Fidere que veniunt rebus, fugiuntque vicissim;*

*Fluminis est rapidis fidere semper aquis.*

**6** Extat etiam apud Ovidium (l) elegans à Sole sumpta similitudo, qui dum lucet umbras procreat, & comites habet, deficiens verò, vel obnubilatus, eis penitus destituitur. Carmina ejus hæc sunt:

*Utque Comes radios per Solis evitibus umbra est,*

*Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit.*

*Mobile sic sequitur Fortune lumina vulgus,*

*Quæ simu inducta nube teguntur, abit.*

Joachimus autem Camerarius (m) aliam ex cancris, aut ostreis sumit, quas scimus ad motum Lunæ crescere, vel decrescere, & ita habet,

*Crescente adresco Luna: decreco minuta,*

*Aulae non melius pingitur effigies?*

**7** Nos verò, quod proprius, quam soleat haec confidentia Aulicos fallere, commoneamus, Elephanterem, ut vides, depingimus, cui arbor ipsa, quam in tanti corporis subsidium, & reclinamentum elegit, casus causa esse solet, illumque occidendum, vel prædandum, venatoribus dare. Est quippe apud Aristotelem, Pliniū, Aliani, D. Ambrosium, & reliquos, qui de historia animalium scripserunt, quos in unum Conradus Gesnerus (n) diligenter congressit, communis traditio, ea esse Elephantis natura, & corporis structura, ut genua flectere non valeat, cruribus nimis continuo solidissimo osse compactis, sine nodis articulisque, quibus veluti columnis tanta posset membrorum moles fulciri. Unde si cadant, surgere non possunt, & hinc est, quod dormientes non recumbunt, sed defessi, magnis arboribus se applicant; quod Venatores observant, & illas penè succidunt, ut innixa eis bellua, illis cadentibus, cadant, & sic eas capere possint. Quod & ipsum in Alce, eadem ratione quod ejus suffragines, ut & Elephants, fleti nequeunt, contingere, dissertat Solinus (o) enarrat.

**8** Et licet non ignorem Cœlium Rhodiginum (p), ex aliorum auctoritate, hoc esse vanum, docere, quia flexiles articulos habent, & ut alia bestiae, cum liber crura flectunt, & erigunt. Quod & hodie quotidiana & oculari experientia à Lusitanis compertum esse, qui regiones Orientales frequentarunt, & immanes has bestias manibus palpant, latè ostendit Fr. Gaspar de San Bernardo (q). Adhuc tamen priscos illos Scriptores sequuntur, non dubitavi, juxta eorum mentem hoc Emblema formare, maximè cum jam, quod ipsi senserant, veluti in Ada-

Yy

(b) Dan. 4. 10. 11.

(n) Gesner. de quadruped. lib. 1. pag. 379.

(i) Jacob. Billius in Antholog.

(o) Solin. in Polybi. cap. 23.

(k) Nazianz. serm. 62.

(p) Rhodig. lib. 4. cap. 12.

(l) Ovid. lib. 1. Trist. elog.

(q) Fr. Gasp. de S. Bernard. in itiner. Ind. cap. 15.

(m) Camer. in symb. cent. 4. Emb. 51.

gium transierit, & homo, Genibus Elephantinis, inde is appellari soleat, qui superbus est, & vix Deum, ne dicam homines, ullo honore, ne aperti capitis, aut genuflexi, afficere dignetur, ut Bovillius inter Adagia Erasmi (r) scriptum reliquit, quod prius etiam ex Aegyptiorum doctrina Pierius (s) Valerianus recensuit.

9 Nec mirum est, si Antiqui, quibus ingens hoc animal parum tunc temporis innotuerat, in aliquibus aberraverint, cum & Martialis (t), & Plinius (u) illud cornutum efficiant, quod nullo alio modo salvari potest, nisi pro cornibus præ magnos illos dentes ex ore prodeentes, acceperint, ex quibus ebur conficitur, ut latè Philippus Camerarius (x), & Martialis Commentatores observant, plura item valde notanda de hujus animalis intellectu, & docilitate tradentes. In quibus etiam recensendis multus est, & omnino legendus Pierius (y), Crinitus (z), Acosta, & Justus Lipsius (a), quos præ aliis legere non pigebit.

10 Prout neque ad nostri Emblematis intentum comprobandum, & illustrandum, Aphorismum illum, quem suis Monialibus Sancta illa virgo Theresia de Jesu (b) sedulò reperiebat, ut in ejus operibus legitur, *Mirar bien quan presto se mudan las personas, i quan poco ai que fiar de ellas, i asirse bien con Dios, que no se muda.* In cuius commentatione alia ad rem eamdem conductentia Religiosus & Pius Pater Alphonsus de Andrade (c) congesit, & præsertim illud D. Augustini (d), dum docuit: *Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit, ut retrò respicias, id est, ut in rebus præsentibus, nec præsentibus (non enim dicenda sunt præsentia, numquam stantia) spem tuam ponas.*

11 Etenim, ut omnium seculorum exempla demonstrant, & in nostro non semel experti sumus, rari, aut nulli sunt Regum ex primoribus Administris, qui illis deficientibus non ceciderint, simulque secum plures alios, qui ab eisdem pendebant, in fortunam similem traxerint. Nescio enim quo pacto, aut fato, qui Antecessoribus grati sunt, ferè semper successoribus displicant, atque ita sub sinistra hujus primi mobilis volubilitate, necesse est, ut omnia, quæ ad dexteram consistebant, deficiantur, & suis votis expectationibusque frustrentur.

12 Quod alio non ineleganti simili, Modernus quidam Auctor (e) his etiam elegantibus verbis edocuit: *An non vidisti puerum testam de litore legere, jaſtatione ſuctuum levigatam, quam deinde in ipſius maris ſuperficiem jaſtat reclinatus? Hæc dum plantus undarum dorsum rudit, levi impetu lapsa, emicat crebrius, & ſummis emergens ſuctibus, ſaltu sublevatur aſſiduo, donec priore impulſu deſtituta mergatur. Sic nobiscum fortuna ludit, qui quamvis emicimus diutius, mergimur tandem, favore evanescente, quo ab his undis resilire viſi.*

13 Addo his reliquias, quæ hujusmodi Potentium casus comitantur calamitates, que meius mente concipi, quām calamo exprimi poſſunt, & benè à Philippo Camerario (f) delineantur: inter quas non levis est illa, quod statim ac de ſublimi ſtato ceciderunt, vel ab illis deſeri, & ſapè (quod magis dolendum eſt) inſidiari, atque impeti vident, quibus maximè, dum in illo viguerant, profecerunt. *Sic enim (ut Cominæus (g) inquit) comparatum eſt in rebus humanais, ut quorum augere videmus potentiam, eos magis obſervemus, quām illos, qui in ſupremo gradu poſiti, amplius progredi non poſſint.*

14 Suntque plurimi, ut mures, qui aedes ruinosas trimestri ſpatio antequām corruant, deſerunt, & in tutiora migrant, ut vel Cicero (b) de suis agens, ſcripsit. Quemadmodum & paſtati, ut facetè Paſſerarius (i) ait, eos deſerunt, quos res deſerit: ſicut pediculi moribundos, vel ut Alphonsus Aragonius Rex, Panormitanus (k) referente, dicere ſolebat, ſicut pisces, aut aves marinae, quæ navim ſequuntur, & ſimil ac prædam aliquam bolunvè ceperunt, diſparant.

15 Eaque propter præclarè dicebat Symmachus (l), parum fidendum eſſe de hiis, qui Principes, & Principibus proximos, comitantur: *Quia comitatus (inquit) bic frontes hominum aperit, mentes tegit. Et melius Seneca (m), corundem amicitias, Temporarias appellans, ita enim utilitatis gratia comparatae ſunt, ut florentes amicorum turba circumdeat, circa eversus ingens ſolitudo ſit, & inde amici fugiant, ubi probantur. Hac re tot nefaria exempla ſunt, aliorum metu relinquunt, aliorum metu prodentum.*

16 Expertus fuīt hanc ſoliditudinem Apelles Philippi Macedonie Regis intimus Adminiſter, qui, latius referente Polybio (n), cum ad eum inviſendum, prout anteā in more habebat, mag-

(r) Adag. Erasm. pag. mibi 69.

(s) Pier. in Hierogl. lib. 2. pag. 17.

(t) Plin. lib. 18. cap. 1.

(u) Martial. lib. ſpeſt. epigr. 18.

(x) Camer. cent. 1. ſub cœſſ. cap. 25. & cent. 2. cap. 95.

(y) Pier. d. lib. 2.

(z) Crinit. lib. 5. cap. 13. Acosta de aromat.

(a) Lips. cent. 1. epist. miscel. epist. 50.

(b) Aviſos de Santa Teresia, cap. 11.

(c) P. Andrad. ſobre los Aviſos de Santa Teresia, 1. tom.

pag. 288. & ſeqq.

(d) D. Auguſt. ſerm. 29. de verbiſ Domini.

(e) Pat. Pintus in ſua Philiomelia, ſive novella de Ami-

eo, pag. 6.

(f) Camer. 3. ſubcess. cap. 56. & 57.

(g) Comin. lib. 10.

(h) Cicero. ad Attic. epift. 9. lib. 14.

(i) Paſſerat. in Pref. ad Curculion.

(k) Panorm. lib. 1. de diſt. & faſt. Alphons.

(l) Symmac. lib. 1. epift. 26.

(m) Senec. epift. 9.

(n) Polyb. lib. 5. histor.

no Ducum, militum, amicorum, & clientum comitatu perrexisset, ubi ab Admisionalibus detentus, Regis gratia excidisse conjectum fuit, ab eisdem omnino desertus, cum paucis familiaribus ſe in hospitium recepit. Idem Ferdinand Toletano, Duci Albano apud nostrum D. Philippum II. contigisse Joannes Fileſacuſ (o) commemorat; & de Francia Conneſtablio Momorani apud Franciſcum I. & Comite de Eſex, & de Locetria apud Isabellam Angliae Reginam, D. Joannes Vitrianus (p). Addens, cuidam ex his ita lapsis Administro, alium, ſive ſerio, ſive per jocum dixisse, ut statim à cubiculo ſuo diſcederet, quod vel solo halitu infenſum reddebat, uſque adeo verum eſt illud vulgatum carmen,

*Cum fueris felix multos numerabis amicos,  
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.*

Est aliud Petronii (q), ſimiliter inquietis,


*Cum fortuna manet, vultum ſervatis amici,  
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.*

17 Quod nemo magis expertus fuit, quām Rex noster Catholicus Ferdinandus V. qui ubi Elisabetha conjugē mortua, Castellæ & Legionis Regniſ Philippo genere cecit, ab omnibus eorumdem Regnorū Proceribus, & Aulicis derelictus fuit, in novum Principem confluentibus, & Adagio illi locum facientibus, quod ex Plutarcho, & aliis tradit, & illustrat Erasmus (r), Plures adorant Solem Orientem, quām Occidentem.

18 Cum tamen, qui veræ, sanctæ, laudabilisque amicitiae, & gratitudinis legibus obſecundant, Heliotropium florem imitari debeat, qua non ſolū, ut Plinius (s) tradit, ſemper in eam ſpectat partem, qua Sol clarus, & rutilans vergit, & eo condito florem contrahit, unde Constantinus Imperator Aulicorum ſimilitudinem à Nicephoro (t) Calisto valde laudatam, deſumpſit, & Camillus Camilli (u), Ruscellus (x), & alii (y) diversa ſymbola deduxerunt; ſed quod magis mirandum, & aſtimandum eſt, etiam ſub nubilo tempore eamdem proprieatem, & virtutem conservat.

19 Unde Ego in Aulicos, qui ſecus faciunt, peculiare Emblema paraveram, quod tamen, quia ab aliis fere occupatum inveni, omitendum censui, & ejus carmina ſic ſe habebant,

*Ecce non ſolū Clacie nitentes  
Expetit Phœbi radios, ſed uſque  
Languidos diuidum, nebulosi amiciſ  
Solis adorat.  
At ſecus Regum ſequitur favorem  
Aula, dum tantum nitidi rubescunt  
Principes, quod si nebulis premantur;  
Tergora vertunt.*



(o) Fileſac. 2. tom. ſelect. tract. 1. cap. 8. pag. 50.

(p) D. Joan. Vitrian. in ſchol. ad Comines 1. part. cap.

71. lit. B. pag. 297.

(q) Petron. in fragm.

(r) Erasm. in Adag. pag. mibi 47.

(s) Plin. lib. 2. cap. 41. & lib. 18. cap. 27.


(t) Niceph. lib. 8. histor. Eccles. cap. 14.

(u) Camill. Camill. in symb. pag. 63. 2. part.

(x) Ruscel. pag. 216.

(y) Sebas. Covarr. cent. 2. Embl. 12.

## AURES BONI, AUT MALI REGIS.



*Demissas Cervi strepitus non fertur ad aures,  
Has tamen arrectas, vel levis aura ferit.  
Regius etce typus, nam dum fas jusque gubernant,  
Audiat ut miseros vox satis una fuit:  
Sin minus Astreæ vilis reverentia Regi,  
Tunc inopes ventis irrita verba dabunt.*

## COMMENTARIUS.

**I**UAMVIS Reges, ac Principes bonis Consiliariis, atque Administris stipatos esse oportere, pluraque illorum manibus, oculis, atque auribus expedire posse, in superioribus dixerimus, hoc tamen non efficit, ut suas ita obturare debeat, ut balantum commissarum sibi ovium voces penitus audire, eisque opportune per se se, prout res poposcerit, providere recusent, quod ut facilius comodius eisdem suadeam, aliqua nunc Emblemata, Regium munus expectantia, ac pariter excitantia, ipsorum oculis exhibere operæ premium existimavi.

**2** Quorum hoc, quod vides, ex Cervorum natura, ac proprietate desumitur, quam talem esse indicat Plinius (a), ut cum aures exercent, acerrimi sint auditus, cum remiserint, omnino surdi remaneant. Sub quo Typo Plutarchus (b), & qui ab eo desumpsit Erasmus (c), & Joannes Damæus (d), Principes significari ajunt, qui si quid est, quod placeat, id procul etiam percipiunt, si quid secus, quantumvis clamores, non intelligunt.

Ego

(a) Plin. lib. 8. cap. 32.

(b) Plut. in Moral.

(c) Erasm. in simil. fol. mibi 64.

(d) Dadr. in loc. Com. fol. 508.

**3** Ego vero, eti hanc applicationem non improbem, ed, ni fallor commodius, eudem typum detorquo, ut bonum Principem, rectèque suo officio fungentem, in Cervo, dum arrectis stat auribus, consideremus, malum autem, in eo, qui illas habet demissas, & ad clamores, & querelas suorum subditorum clausas, & obturatas. Etenim, vel divina Sapientia (e) docente, nihil est, quod magis ad Regum officium spectet, quam hac in audiendo patientia, ideoque præcepta, qua eis injungit, ab hoc, tamquam præcipuo, sic exorditur: *Audite ergo Reges, & intelligite, Discite Judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placebitis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogavit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.*

**4** Et Salomon (f) idem agnoscens, ubi se Regem constituti vidit, non dies multos, nec diuinas, aut animas inimicorum suorum à Deo postulavit, sed cor docile, hoc est audiens ac sapiens, quasi pars sapientiae in audiendo consistat. De qua etiam Syracides (g) inquit: *Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam, etsi dilexeris audire, sapiens eris.*

**5** Absalon etiam ejus frater, ut in libris Regum (b) habetur, ut populum ad se attraheret, facilem & gratam omnibus se alloqui volentibus auren exhibuitur, ubi Rex factus esset, pollicebatur. Sic enim Sacer Textus scribit: *Dicebatque Absalon: Videntur mibi sermones tuu boni & justi, sed non est qui te audiat, constitutus à me Rege. Quis me constitutus judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, & justè judicem.*

**6** Et D. Thomas (i) ex Platonis, & Macrobi sententia, docilitatem posuit inter partes prudentiae: nec subditis dumtaxat necessariam esse, verum & Regibus, ac majoribus Magistris. Quos, hac de causa, nostro, & Italo sermone, *Auditores vocare solemus, si vel ex ipso nomine, præcipuum sui munieris partem significantes. Ad quam respiciens Moyses in Deuteronomio (k), postquam Judices populo constituit, eis præcepit, dicens: Audite illos, & quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paucum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.*

**7** Neque hoc latuit Ciceronem (l), dum sic Quintum fratrem Cilicæ Proconsulatum gerentem admonuit: *Facillimos esse aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullus inopiam, oc solitudinem, non modo ullo populari accessu, ac tribunali, sed ne domo quidem tua, & cubiculo exclusum tuo. Toto denique imperio nihil crudelè, nihil acerbum, atque omnia plena clementiae mansuetudinis, humanitatis. Et Senecam (m), qui hinc inferens, magnam esse servitutem, magnam Regum, & Imperatorum fortunam: *Audienda sunt illis (inquit) tot hominum millia, tot disponendi libelli, tantus rerum ex toto orbe accidentium congestus, ut possit per ordinem suum Principis maximi officium geri.**

**8** Et Plinij Juniorum (n), qui non contentus de se dixisse, quod quoties Judicis munere fungebatur, quantum quis plurimum temporis postulabat, ut in sua causa audiretur, æquè ei dabat: *Etenim temerarium (inquit) existimo, divinare, quam spatiova sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cuius modum ignore: præsertim cum primum Religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna justitiae est. In alio (o) loco, magis ad rem nostram, suum Trajanum, & in eo quemlibet bonum Principem, de eadem in audiendo patientia, his verbis commendat: Tu tamen copiam tui non ut impetus, facis. Haret lateri tuo quisquis accessit, finemque sermonis suus cuique pudor, non tua supervia facit. Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: Adeunt statim, dimittuntur statim; tandemque Principis fores exclusa negotiantur turba non obstat. Quod forsan in Sejani, & aliorum contrapositionem scripsit, qui se adeò difficilem in dandis audientiis præstabat, ut Tacitus (p) dixerit, *Janitoribus ejus innotescere, pro magnifico habebat.**

**9** Cassiodorus (q) quoque Tolonicum virum Patrium, Regio sanguine ortum, & Athalarici Regis dilectissimum Administrum, collaudans, inter alia extollit, quod *Nulos responsis laudabat ambiguis, amaveritque in audiendo patientiam, & in sugestione veritatem. Et iterum (r), in quolibet bono Rectore illud desiderat, ut se adire, à seque audiri volentes, *Nec anxia mora suspendat, nec crucibili dilatione fatiget.**

**10** Et quamvis Cretenses suum Jovem auribus carentem depinxerint, *ut alio (s) loco tetigimus*, quod rectè cadere in Principem surdum, aut Judicem querelas non audiентem, Nicolaus Causinus (t) autumat, alia planè erat talis picturæ significatio, in idque tendebat, non ut Deorum,

(e) Sap. cap. 6. 2. &amp; seqq.

(f) Reg. 3. 3. 9. &amp; seqq.

(g) Eccles. 6. 34.

(h) Reg. 2. 15.

(i) D. Thom. 2. 2. quæst. 49. art. 3. &amp; ibid. ad 3. Macr.

de somn. Scip. lib. 1. cap. 8.

(k) Deutor. cap. 1. 16.

(l) Cicer. in epist. ad Q. Fratrem.

(m) Senec. de Consol. ad Polyb. cap. 26.

(n) Plin. Jun. lib. 6. epist. 2. ad Arrian.

(o) Idem in Paneg. ad Trajan.

(p) Tacit. 5. Annal.

(q) Cassiod. lib. 8. epist. 9.

(r) Idem lib. 11. epist. 33.

(s) Supr. Emblem. 54.

(t) Caus. in Polist. lib. 2. cap. 43. pag. 95.

ac Principum summum suis aures negare deberet, docerent, sed ne, qui Jovem referunt Principes, servas aliis commodarent, hoc est alieno arbitrio in omnibus regerentur, & ab aliis possideri videantur, ut bene explicat Hadrianus Junius (*u*) in peculiari Emblemate, quod ex hac pictura deduxit, sic inquiens:

*Sublimen Jovis statuam patula aure carentem*

*Sacrat Minoja Greta:*

*Principis est, Regnum dextra moderantis habena,*

*Servam ne cuius commonet aurem.*

*ii* Alioqui nemo sanus, in sano Principe, hanc, *ut diximus*, faciendi sui populis copiam, eosque benignè audiendi obligationem inficiari poterit. Hoc enim magnum per se crimen esset; nam ut ait vir pius æquè ac doctus Petrus Blesensis (*x*): *Qui dat divitias terræ, ab eis aurum non postulat, vel argentum, sed ut audiant causam populi, & arguant pro mansuetis terræ.*

*12* Unde Lacedemonii, ut tradit Natalis Comes (*y*), eidem Jovi, quoad diligentiam administrandi, quatuor aures injunxerunt, & aquilam attribuerunt, propter perspicacitatem: *Quibus tamen sensibus (ut idem subjungit) plerique Principes non ad rectam administrationem, sed ad avaritiam, & cumulandas opes, extorquendasque subditis, acerrimè utuntur: quibus & aquila ob rapacitatem meritò tributa est, & perspicacitas ob exploratores, ingeniosaque consultores imponendorum tributorum.*

*13* Quod & ipsum vel paupercula illa anus apud Plutarchum (*z*) satis ostendit, quæ cum Philippum Macedonum Regem sèpius, ut illam audiret, instaret, & in hac flagitatione frequenter obstreperet, Regi, se excusanti sibi ocium non esse, libere inclamavit: *Vel audi, vel ne Rex quidem esse velis.* Cujus tam veram, quæ liberam vocem admiratus Philippus, non illi solùm aures defixus præbuit, verum etiam alios confessim diligenter audivit. Quod & Adriano Imperatori, & Demetrio Poliorceto, ad bellum properantibus, contigisse, alii Autores (*a*) scribunt.

*14* A quibus non abest illud Titi Imper. qui, *ut narrat Suetonius (*b*), neminem à Cæsaris præsentia, aut colloquo, tristem discedere oportere, respondere solebat.* Et Rodolphi Austriae stirpis primæ quasi radicis, qui, *ut post alios Lipsius (*c*) recoluit*, cum frequentior ad eum ficeret populi concursus, & satellitum quosdam homilioris fortunæ ad se affectantes, submovere adverteret, non sine sthomaco edixit: *Per Deum (ipsa ejus verba sunt) sinte homines ad me venire. Non enim idè ad Imperium vocatus sum, ut in arcu includar.* Meminerat quippe Pius Imperator, Regem Regum, dum inter homines degeret, discipulos increpasse, quod parvulos, id est humiles, & abjectos à se removerent, talibusque inquietebat esse Regum coelorum.

*15* De Divo quoque Joanne Eleemosynario, Patriarcha Jerosolymitano, commemorat Surius, (*d*) omnium alloquio patentes fores, atque aures semper habuisse, valdeque constritatum, quod quadam die querelis popularium excipiendis paratus, nemo ad eum accessisset. Non minori sanè laude in hoc dignus; quæ Titus apud Quirites, qui se illam diem perdidisse, dicere solitus erat, in qua aliquod in aliquem beneficium non contulisset, quam vocem memorabilem merito laudatam, Suetonius (*e*) appellat.

*16* Pium etiam II. Pont. Max. Antonio Campana (*f*), & Laurentio Beyerlinchio (*g*) referentibus, novimus, quod cum ad eum senex, verbis supra modum profusus, petendi quippiam gratia accessisset, eumque, quia profusiorem, quidam de adstantibus increpat, verè Pius Pontifex, omnia illum ab initio repetere imperavit, vultuque severius in ultimæ contra admonitionem retorto, Nescis (*ait*) ex quo Pontificatum ini, alis vivere me oportere, non mibi. Rarum exemplum humanitatem, quod merito ejus successors æmulari debebunt.

*17* Hincque damnanda venit aliquorum Regum consuetudo, qui se raro vel numquam suis populis videndos, ne dum alloquendos, exhibebant, censes nimurum, hoc modo eorum Majestatem venerabiliorē reddi, quæ contrà, ex nimia familiaritate, *ut est in Adagio (*b*), viles-* cere; & contemptum parere posset, *ut de Persarum Regibus Brissonius (*i*), post alios, latè recent-* set, & Josephus (*k*), Artaxerxis peculiarem mentionem faciens, qui legem tulerat, ut nemo ex domesticis invocatus eum accederet, si quis contra faceret, capite plecteretur, nisi Rex virga aurea, quam manutenebat, illi parcerre denotasset. Quod fuit in causa, *ut Esther Regina (*l*), quæ ob gentis suæ periculum invocata ad eum venerat, metu examinata concideret, quoque Rex correcta virga, ei salutem spondidit.*

Si-

(*u*) Hadr. Jun. Embl. 48.

(*x*) Petr. Blesens. apud Caus. supr.

(*y*) Nat. Com. in Mytol. lib. 2. cap. 1. pag. 111.

(*z*) Plutarc. in Apoph.

(*a*) Spartan. in Adrian. Sabel. lib. 7. Enead. 4. Fulg.

lib. 3. cap. 2.

(*b*) Sueton. in Tito cap. 8.

(*c*) Lips. in Monit. pol. lib. 2. mon. 7. & in epist. Proam.

ad notas in Paneg. Plinii.

(*d*) Surius in ejus vit. tom. I.

(*e*) Suet. in Tit. dist. cap. 8.

(*f*) Anton. Campan. in vit. Pii II.

(*g*) Beyerlinch. in popth. Christ.

(*h*) Erasm. in hoc Adag. pag. 147. Calistrat. 7. C. in I.

observandum, D. de offic. Pref.

(*i*) Briss. de Reg. Pers. lib. 1. pag. 135. & seqq.

(*k*) Joseph. lib. 11. ant. Jud. ap. 6.

(*l*) Esther. 5.

*18* Sinis quoque nimiam sui occultationem pro Majestate fuisse, & hodie etiam esse, Autores, qui de illis (*m*) scribunt, enarrant. Et quod magis mirere, apud Strabonem & Ptolomeum (*n*) legimus, crudeli more pro thronohydrā Æneam habuisse, cuius ventrem subibant, audituri legatos, ut illis horrendæ Majestatis plena vipera metum inferret. Quod Balthasar de Bias, (antiquos Galliæ Merovaës reprehendens, qui se etiam populus visendos non exhibebant, & Regem suum, ut Clementius, atque humanus se cum suis gerat, commonefaciens (his carminibus eleganter expressit,

*Absit Sinarum Majestas horrida gentis,*

*Regalem vestæ serpientes in Ilia sedem*

*Que facit, & nocua dat barbara jura sub hydra*

*Visceribus, squalentque fero responsa veneno,*

*Dum Rex & serpens fera confunditur alvo,*

*Ipsaque sub rigido natura septula Chelydro*

*Horruit effantem per tristitia toxica Regem.*

*19* De Bornei etiam Regibus, quorum ditio in una ex Insulis, quas Maluchas vocamus, existit, Petrus Cieza (*o*), & ex eo Beyerlinchius (*p*) recenset, non aliter quemquam, sive indigenam, sive exterum, Regem alloqui posse, quam per Aulicos, diversis stationibus positos, oratione transmissa, quorum qui Regi proximus erat, is per arundinem longam perforatam, illi, quæ ab aliis accepatur, refrebatur.

*20* Sed hi truces & barbari mores, magis ut fugiantur, quam ut imitentur, sciendi sunt. Prudentes etenim Principes observare debebunt, ita se in audendo & audiendo faciles præbere, ut contemni se non patientur. Quod omnibus etiam jus reddentibus, rectè Juris-Consultus Callistratus (*q*) consulit, & latè noster Bobadilla (*r*) prosequitur. Tanquamque abest, ut humanitas Regiam Majestatem infringat, ut potius in hac illius incrementum Plinius Junior (*s*) constituat, hoc pacto in suo Panegyrico inquiens: *Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si semper se submittat, securus magnitudinis suæ. Et certè non ab ullo periculo fortuna Principum longius abest, quam humilitatis. Cui similis Cassiodorus (*t*), ita ait: Nam cum Rex satisficit, qualibet dura dissolvit: quia sic est in Principibus humilitas gloria, quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse jauntinga.*

*21* Et Pacatus, de eadem facilitate, ac humanitate suum Theodosium commendans, Creber (inquit) egressu, expectantibus populis tefateris, nec videri modo pateris, sed facilis audiri, è proximo accipis vota tuorum. Principes nonnulli Majestatem Regiam innivit, & vulgari putabant, nisi eos intra repositum Palatine ædis inclusos, tamquam aliquod Vestale secretum, veneratio occulta consulissent, nisi intra domesticam umbram jacentes, solicitude provisa, & silentia latè conciliata vallassent, &c. Et prius Cicero (*u*), Pompejum Magnum, suum in Consulatu collegam, de quo sic tamquam testis oculatus scribit: *Jam verè ita facilis ad eum privatorum adipit; tam liberæ querimone de aliorum injuriis esse dicuntur.*

*22* Nemoque hoc melius, quam Hadrianus Imperator edocuit, qui ut Spartanus (*x*), refert, *Hos detestari solebat, qui banc facilitatis, & humanitatis voluptatem, ipsi inviderent, hoc colore, quod dicarent, Principis Majestatem esse observandam.*

*23* Xenophon (*y*) quoque in suo Agesilaō, eamdem facilitatem extollit, addens, non solùm se gratum adeutibus præstisset, verùm & ut audiret ultra ac semper invitasse, *Semper (inquit) ut expectaretur efficiebat, impenseque gaudebat, cum desideris adeuntum satisfactum esse crederet.*

*24* Æmilius Probus (*z*) commendat Miltiadem, quod in eo esset mira comitas, ut nemo tan humilis esset, cui non ad eum aditus pateret. Sueionius (*a*) Octavium, quod Promiscuis salutationibus admitteret & plebem, tanta comitate adeuntum desideria excipiens, ut quemdam loco corripuerit, quod si sic sibi libellum porrigeret dubitaret, quasi elephantu stipem.

*25* Et Plutarchus (*b*) de Cajo Mario commemorat, post triumphatum Orientem, reversum Romanum, prope forum aedes adificasse: *Sive ut ipse firebat, quod suū cultores, atque studiosos longius se comitari, ac molestia offici nollet: sive quod putaret, banc occasionem sibi dari, ut à pluribus etiam aliis limina ejus frequentarentur.*

*26* Tacitus (*c*) quoque Germanicum laudat, *Quod asperu & auditu justa venerabilior efficeretur. Et Vononem, quem Parthis Regem imposuerat Tiberius, quod apud eum Prompti aditus, ob-*

(*m*) Trigaultius, Pintus, Mendoza, Roman. & alii Scriptores de reb. Sinarum.

(*n*) Strab. & Ptolom. relati à Balthas. de Vias in notis ad Sylcam 10. pag. 332. not. 6.

(*o*) Petr. Cieza, hist. Peruvian. cap. 94.

(*p*) Beyerlinch. in Thraec. hist. C. pag. 203.

(*q*) Callistrat. in dist. leg. observandum, in princ. de offic.

Præsid. leg. 8. tit. 4. part. 3.

(*r*) Bobad. lib. 2. cap. 5.

(*s*) Plin. in Paneg.

(*t*) Cassiodor. lib. 5. epist. 44.

(*u*) Cicer. pro lege Manil.

(*v*) Spartan. in Hadrian.

(*w*) Prob. in Miltriad.

(*x*) Suet. in Oth. cap. 53.

(*y*) Plutarc. in Maria

(*z*) Tacit. 11. Annal.

*obvia comitas, ignotæ Partibus virtutes* (d). Quemadmodum ex adverso, dolorem populi propter Tiberii & Sejani, in audiendis popularibus, moras, & difficultates, exagerat.

27 Quas etiam in Caligula multis verbis notat & reprehendit Philon Judeus (e), qui ad ipsum legatus missus illas expertus fuerat. Et Pausanias exitio fuisse, Thucidides (f) his verbis commemorat, *Aditu difficilem se præbebat, & iracundia adè gravi in omnes pariter utebatur, ut nullus posset accedere. Quamobrem etiam potissimum socii ad Atheniensium partes transferunt. Necnon & Demetrio Phaleræ, ut inquit Plutarchus (g), qui libellos supplices respues, seditionis causam præbuit. Et Hieronymo Siculo Regi, sive Tyranno, de quo ita Livius (h) scriptum reliquit, *Contemptus omnium hominum, superbæ aures, contumeliosa dicta, aditus non alienis modo, sed tutoribus etiam difficiles.**

28 Quapropter D. Nazianzenus (i) valde in Julianum Imper. notavit, quod sèpè ad se accedentes, & alloqui volentes, ita multabat, palam pugno eos feriens, calcibusque impetens, ut præclarè secum, actum putarent, quod atrocius aliquid minime passi essent. Et Synesius (k) Cyrenensis Episcopus aculeatè morem hunc difficillimum Admissionum perstringit, quem *barbarum, & insolentem* appellat, doloque pestem talem summo in præcio & studio habitam, temporum successioni traditam fuisse.

29 Quod etiam novissimè præstat Joannes Filescus (l), benè quidem subiungens cum Æmilio Probo, *Comitatem non sine severitate, neque gravitatem sine facilitate spectandam esse*, ut sic hac in re, quod de alia Martialis (m) scripsit, à Principibus observetur,

*Illud quod medium est, atque inter utrumque probamus.*  
Et ita sibi & publici curis, exclusi adeuntur turbis, vacare, & consulere possint, ut eisdem admittendis, & audiendis aliquas horas accommodent, & Admissionalium, sive Ostiarium furias, injuriasque cohibeant, quos acerbè & asperè Joannes Sarisberiensis (n), & Petrus Blesensis (o) insectantur, & Cerbero, qui inferi portas custodiens singulare crudeliores appellant.

30 Qualiter autem se in his Audientiis, & cum negotiantibus habere Principes in suis responsumibus debeant, aliqua supra in alio (p) Emblemate dixi, & qui velit plura, nostros Joannem Marquez (q), Sanctam Mariam (r), Pinedam (s), Velazquez (t), & Saavedram legere poterit.

31 Ego hic finio, Claudiani (u) carmina pro coronide addens, in quibus, dum vulgum inducit, nihil non magnum & laudabilem de Eutropio, recens ad Patriatum honorem evesto, sibi impromittentem, hanc virtutem, de qua loquimur, & alias, quæ in bono Principe concurrere debent, sic mirificè canit,


*Nihil est, quod non in pectore magnum  
Concipit Eutropius, semper nova, grandia semper.  
Diligit, & celeri degustat singula sensu,  
Nil timet à tergo: vigilans utique curis  
Nocte dieque patet: lenis, facilisque moveri  
Supplicibus, mediaque tamen, mollissimus ira:  
Nil negat, & se vel non procentibus offert;  
Quodlibet ingenio subigit, traditque fruendum,  
Quicquid amas dabit illa manus, communiter omni  
Fungitur officio, gaudetque potentia fleti:  
Hoc quoque consilii peperit, meritoque laborum  
Accipit, & trabeas argutæ premia dextre,*

32 Et contra aliquos, qui queruntur, sibi non omnibus horis Principum aditum, & auditum vacare, videndum est Seneca (x) qui dementissimam eorum indignationem appellat: *Cum bonus servatis, iterum, atque iterum Principes moneo, ut se in adeundo, & audiendo suis faciles pre-ad resciendum animum dolentem, quantum blanda & lenis oratio Principis. Ea via est, ad conciliandum tibi citra ullos sumptus omnium benevolentiam, qui ex eo te Patrem patriæ potius quam Domini num prædicabant.*

## EM-

- (d) Idem Annal. 2.
- (e) Philon, in legat. ad Cajum.
- (f) Thucid. lib. 1. pag. mihi 51.
- (g) Plutarc. in Demst.
- (h) Livius lib. 24.
- (i) Nazianz orat. 4. in Julian.
- (k) Synes. in orat. de Regn. ad Arcad.
- (l) Joan. Filesc. in lib. de idolol. polir. cap. 3. expag. 33.
- (m) Martial lib. 1. epigr. 58.
- (n) Sarisber. lib. 5. Polir. cap. 10.
- (o) Blesens. epist. 4.
- (p) Supr. Emblem. 27. ad fin.
- (q) Marq. lib. 2. cap. 38. pag. 381.
- (r) Sanct. Mariam in Polit. Christ. cap. 18. § 19.
- (s) Pined. in Salom. pag. 367. & seqq.
- (t) Velazq. de opt. Principi.
- (u) Claud. in Eutrop. lib. 2.
- (x) Senec. de brevi. vñ. cap. 2.
- (y) Basil. Imperi in Monit. ad filium, cap. 51.

## STATERA REGUM.



*Ferrea discordes inter stat virga bilances,  
Judices officio pondus utrumque notans,  
Sic mens ipsa Hominis geminas interjacet aures,  
Audiat ut causas, judiciumque ferat.  
Supremus Judex, culpet ne protinus ullum,  
Quin duplici primo consulat aure duos.*

## COMMENTARIUS.

I Uod diximus, Reges, faciles in audiendis subditorum precibus, & querelis, esse debere, non ita accipi volumus, ut in eis etiam credendis faciles sint, vel statim adversus eos, quos malos putant, excandescant, aut cum calamitosis illacrimentur, id enim vel in ordinariis Judicibus, quorum animi motum vultus detegit, merito reprehendit Callistratus Juris Consultas (a).

2 Quibus etiam, & quibuslibet hominibus, qui cordati videri volunt, nimia credulitas ita vitio data fuit, ut vel ab Ecclesiastico (b) doceamus, eos qui citò credunt, leves esse corde, ab Ovidio (c), stulti vocentur, & in Adagium, tam apud Juris-Consultos (d), quam apud alios (e) Autores transierit, *Nemini fidendum, nivè temere esse credendum*. Credulitatem nimiam esse matrem deceptionum, sibique & suæ facilitati imputare debere, qui in aliquo, ob suam credulitatem lassus fuerit. De quo plura dicere possem, nisi jam ferè omnia Tiracellus (f), & alii (g) plenè congesissent, & pro omnibus sufficere posset, vetus illa Epichar-

Zza

(a) Castill. in I. observandum 19. de offce. Präsid. Bobad. in Polit. lib. 2. exp. 5.  
(b) Tiraq. de retrati. convent. §. 4. gloss. 6. n. 7. & de pan. temp. caus. 51. ex. n. 26.  
(c) Ovid. 2. Amor.  
(d) Li. 1. §. 1. de eo per quem fact. er. ubi gloss. alia jura alleg. cap. 49. Matiez. in dialog. relat. 3. part. cap. 13. num. 8. §. 9.  
(e) Erasm. in his Adag. pag. 179. & 584.  
(f) Tiraq. de retrati. convent. §. 4. gloss. 6. n. 7. & de pan. temp. caus. 51. ex. n. 26.  
(g) Silva nupt. lib. 4. ex n. 55. Aut pach. singul. alleg. cap. 49. Matiez. in dialog. relat. 3. part. cap. 13. num. 8. §. 9.